

*Deus et spiritum rectum innova in visceribus meis.*  
Perdiderat nimis David cor suum, cum illud Bethsabae impenderat; noluit igitur restituiri sibi cor suum, utpote immundum et distortum; sed creari cor novum, quod nihil haberet de priore pravitate.

Vix ita purgatur vasculum, quin sordes aliquot retineat, et si penitus etiam emundetur, servabit tamen odorem testa diu, quo prius erat imbuta. Neque nobis, dum hic degimus possibile est ut omni prorsus careamus peccato, omnemque exuamus odorem rerum caducarum: *Quis enim potest dicere?* (ait S. Job. cap. XXXIII.) *Mundum est cor meum et mundus sum a peccato;* et S. Joannes, in epistola sua canoc. c. I. *Nonne, ait, qui dixerit se peccatum non habere mendax est?* Omnes igitur nos in hac vita distortum et ad temporalia quedam saltem inclinatum gerimus spiritum; et quot ejusmodi affectus, tot in nobis venialia peccata et sordes animae.

Cum ergo animae illae sciant se ab omni labe puras adeoque quoad hoc angelis similes esse, fieri non potest ut ejusmodi cognitionem non sequatur magna delectatio.

Sane Lud. Blosius, in monili spir. cap. XIII. scribit: *Mavult anima in purgatorio perferre paenam cum certitudine pervenienti ad Deum, quam adhuc esse in hac vita cum periculo peccandi in Deum.*

IV. Gratulantur sibi, quod paenam sibi debitas aequissimo ferant animo, utpote a coelesti Patre et medico velut medicinam sibi preparatas. Quamquam enim ignis purgatorii ignis est, et infernali illi (juxta doctorum sententiam) in vi- gore nihil cedit, alius tamen de causis longe tolerabilior est: nam ignis inferni aeternus est; ignis purgatorii temporalis: ignis inferni tenebris est; ignis purgatorii lucidus: ignis inferni devorat et indurat; ignis purgatorii excusat et maturat: ignis inferni res fortes debilitat, pulchras defecdat; ignis purgatorii fortiores reddit et pulchriores. Deo igitur gratias, qui dedit talem ignem, qui non devorat, sed purgat. Velut enim luci cupidus mercator cum navi merces vehit, jactatur fluctibus, pulsatur turbine, conturbescit nausea, riganteque stomacho ipsa pene viscera evomit et tamen unius intuitu lucri omnia fert aequo pectore; sic se habent qui purgatorio igne examinantur; paenam enim illas a Deo sibi impositas aequissimo ferunt animo. Ethnicus ille Cicero scripsit, epist. ad Messinium famil. V. prater culpam et peccatum homini accidere nihil posse, quot sit horribile aut pertimescendum. De Spartanis pueris memoria proditum est, verberibus eos ad aras sic excipi solitos, ut multis e

visceribus sanguis efflueret, nonnunquam etiam ad necem: quorum non modo nemo exclamabat, sed ne ingemiscebat quidem. Sunamitis, IV. Reg. cap. IV. interrogata ab Elisaeo: *Recte agitur circa te et filium tuum?* Recte, inquit, cum tamen paulo ante mortuum sciret filium. Quid igitur, si hoc pueri et feminae? Nonne fortiores et sapientiores istis animas purgatorii? Dominus per Isaiam viro justo in tribulatione constituto ejusmodi litteras mittit: *Dicite justo: Quoniam bene,* Isai. cap. III. Sed obsecro Domine, quomodo bene habeat, qui tribulatur? *Dicite justo: Quoniam bene.* Solent principes viri sibi mutuo per numeros seu cifras scribere, quas nemo nisi ipsi intelligent. Et ita credendum, agere cum suis Deum, per cifras tribulationum scilicet; quas ipsi soli intelligent. Justae sunt purgatorii animae, et simul in afflictione magna sunt. Quid igitur istis? *Dicite justo:* Quoniam bene etiam in mediis flemmis. Agnoscent enim anime illa perspicaciter afflictionem suam a Deo provenire, et hunc longe magis, quam seipsas diligunt; igitur afflictionem illam, prout a Deo est, magis etiam amant quam amarent impunitatem contra Deum. Qua in re similes mihi videntur aviculae illi throchylo, quae cum vero assanda infiguntur, semetipsam ad ignem gyrat, torretque, teste oculato Alberto Magno, libro XXIII. de animal. Ejusmodi aviculae sunt fidelium animae, Dei enim justitiam intime cernunt, atque adeo ad ignem, cui affiguntur, seipsas quodammodo torrent. Sic religiosa quedam visa a S. Gertrude, lubenti animo perferre paenam purgatorii, quia ita divinæ justitiae congruebat, ut scribit Ludovicus Blosius, in monili spir. cap. XIII. Sed hinc fortasse videbor alicui extenuare purgatorii paenas, quas nemo non supra modum horribiles praedicat: sic enim optandum erit, non timendum purgatorium. Sed advertendum, dilectissimi, gaudium hoc purgantium, non excludere cruciatum. Quamquam enim magnum erit ex una parte gaudium, ex altera maximum erit tormentum. Intuemini Christum in cruce pendente, nonne cernitis ibi angustias mortis, tormentorum cumulum, vulneratum corpus pendensque, durissimis clavis perfores manus pedesque, sitim, lassitudinem, compassionem cum dilectis, tolerantiam contumeliarum? Et tamen eo ipso tempore Christi anima, utpote a primo creationis sue instanti beata, Deum vidit, de visione illa suaque beatitudine summopere gavisa est. Nonne in ss. martyribus saepius evenit, ut in fiammis et cruciatibus cantarent, jubilarent? Possunt ergo simul stare dolor et gaudium. Sed ut S. Bonaventura testatur, non erit in purgatorio tanta letitia, quanta erit tristitia, stulta ig-

tur ageret, qui dum vivit appeteret purgatorium: quemadmodum is omnino stultesceret, qui corpus suum ferreis undeqnaque sagittis configi optaret, ut post de excisione gaudere posset. Quocirca si gaudium querimus, illud queramus, quod cruciatum non habet: quod modum non habet, et coeleste est: *Nescit quid petat,* inquit Augustinus, qui purgatorium petit.

V. Ad extremum non modicam afferet letitiam anima conversatio, quam nemo jure abstulerit e purgatorio.

Imprimis enim quis dubitet universas illas animas mutuae charitatis vinculae arctissime intersese devinetas, alteram ab altera consolationem accipere? Dicit enim Sanctus Augustinus, XIII. q. II. cap. fatendum, posteriorum animas narrare prioribus facta pro eis suffragia. Habent etiam ipsae suam gaudiorum participationem, cum sese mutuo arctius diligent, quam ulli in vita, utpote certae de aeterna hereditate.

Et si nunc sciremus, quibuscum in beatitudine acturi essemus, non dubito, quin unice eos diligemus. Sciunt autem illi coheredes se futuros Christi, unaque in beata aeternitate permanuros. Non est inter eos tantus mutua charitatis affectus; quia nescimus electos a reprobis, sinceros amicos a falsis discernere, et saepe hostes sunt, quos amicos putamus. Unde conqueritur Job cap. XXX. *Frater fui draconum, et socius struthionum,* id est, tam eorum qui aperti quam qui subdoli erant inimici. Accedit deinde ss. angelorum visitatio, quam quis neget animabus illis, cum viventibus nunquam desint? Indicat enim hos suprad. can. S. Aug. nuntiare purgantibus fausta nuntia suffragia pro eis facta. Mitigant ergo imprimis suavissimo suo alloquo aspectu que affliktorum paenas, quid enim vel alloquo eorum suavius, vel aspectu jucundius: nuntiant deinde facta pro eis suffragia: postremo solantur de brevi liberatione. Exemplum legitur in libro apum ejusmodi, quod quidam defunctus a sancto aliquo resuscitatus referebat se vidisse animam in purgatorio sibi prius notam, quae etsi maximo cruciabatur igne, subito exultabunda exclamavit: *Eta misericordissime Deus gratias tibi, quod non in finem oblitus es mei.* Quæsita ab ejus consorte, undenam adeo exultaret, respondit revealatum sibi quod eo die natus esset puer de stirpe sua, qui cum aliquo sacerdos factus, primum Deo oblatus esset sacrificium, sese illius beneficio liberandam. O afflita spes! O triste gaudium! Ad minimum viginti quatuor annos expectare debuit; et tamen exultabat et deo gratias agebat. Videtis igitur id quod hactenus demonstravimus, non inaniter exclamare fidelium ani-

mas: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Sed unde vobis, o fideles, tanta gaudiorum materies? Respondebunt illæ cum Paulo: *Per Jesum Christum Dominum nostrum:* unde vobis, ut devicta morte in gratia Dei persistatis? *Per Jesum Christum Dominum nostrum:* unde vobis, ut prostrato humani generis hoste, labi in posterum nesciatis? *Per Jesum Christum Dominum nostrum:* unde vobis, ut debellato peccato innocentiae vexillum erigatis? *Per Jesum Christum Dominum nostrum:* unde vobis, ut in summis tormentis, devicto inferno summan gratis aequanimitatem? *Per Jesum Christum Dominum nostrum:* unde vobis mundi Victoria, angelorum et honorum societas? *Per Jesum Christum Dominum nostrum.*

Non est igitur ut taceatis. O animæ, vel in mediis flammis, de tanto victore, duce vestro, confidite ergo, et estote viri robusti, quia qui dedit vobis tot Victorias, dabit aliquando et illam, qua educti de carcere cum ipso etiam triumphetis. Pauci enim adhuc dies sunt, post quos recordabitur Dominus ministerii vestri et restituet vos supernæ felicitati.

Hoc enim nos uno ore votis omnibus precamur vobis. Tantum mementote nostri cum bene vobis fuerit, et facietis queso nobiscum misericordiam, et suggestis Domino, ut nos aliquando educat de carcere illo ad coelestis triumphi immarcescibilis gloriam, Amen.

## CONCIO V.

## INCITAMENTUM AD SUCCURRENDUM ANIMABUS PURGATORIUM.

I. Extrema earum indigentia. — II. Maximum earum commodum. — III. Fruetus proprius. — IV. Facilis subsidiæ. — V. Aequitas ipsa. — VI. Monitores multi. 1. Animæ. 2. Tumuli. 3. Campanæ.

## THEMA.

*Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exercare, ut a peccatis solvantur.* II. Macch. XII.

Quemadmodum: *Sancta et salubris est cogitatio, pro defunctis exercare,* testante sacro Macchab. libro: ita vicissim impia et noxia cogitatio est, pro illis nolle orare, eisque nolle succurrere. Hæc enim qui cogitant non sunt meliores divite epulone, qui victoribus splendide nulla habita ratione Lazarus pre foribus jacentis, et ne micas quidem mensæ obtinentis, Luc. XVI. patiuntur enim animas illas pre foribus ecclesiæ in purgatorio jace-re, et misere afflictari; non sunt meliores fratri-

Ius Josephi, qui illo in cisternam detruso sedentes comedebant, nulla habita cura vel condolentia cum fratre, Genes. XXXVII. projiciunt enim fratrem, sororem, parentem, amicum, etc. in foveam sepulcri, et abeunt domum, epulantur et dividunt hereditatem, anima defuncti susque de que habita. Non sunt meliores pincerna Pharaonis, qui ejusdem Joseph captivi sui mox oblitus est cum bene haberetur, et in aulae deliciis versaretur, Genesis XL. Cujusmodi hominibus valet dicit Amos, cap. VI. qui scilicet bibentes vinum in phialis et optimo unguento delibuti, nihil patiuntur super contritione Joseph. Hoc igitur vnde auditores, ne in nos derivetur, laborandum nobis est, ut pro viribus nostris succurramus illis animabus, ad quod multa nos incitant.

I. Extrema earum necessitas, miseria et indigentia; cum enim in summa calamitate sint, seiphas tamen juvare nequeunt. Jam vero quis nescit libentius et justius succurri pauperibus illis, qui victum sibi parare nequeunt, quam iis, qui possunt? Atqui animæ illæ in termino sunt et mereri amplius nequeunt, implorare vivorum opem rarissime, et nonnisi ex speciali privilegio permittuntur. Ciconiae, ut scribit Sanctus Basilius, in hexamero, homil. VIII. comparem præsenio penarum defluvio laborantem circumstantes, propriis pennis confovent, et alimentum abunde suppeditantes etiam vocandi auxilium, quantum possunt præbent utrumque ala leniter allevantes. Ciconiae ejusmodi deplumes sunt animæ purgatorii, quæ propriis meritorum pennis destitutæ volare ad cœlum, quo maxime contendunt, nequeunt: detinet igitur ut et nos operibus nostris illas adjuvamus, et evehamus: idque jure majori quam vivos, qui suis adhuc pennis et constant et modo velint, volare ad cœlum possunt. Cujus rei figuram insinuasse mihi videtur Deus, Daniel XIV.

quando misit angelum, qui diceret Habacuc prophetæ, ut prandium, quod paraverat et ferebat messoribus suis, ferret Danielo jacenti in lacu leonum ( quem et apprehendit capillo suo et duxit ad lacum illum ) quasi diceret: Multo elegenter est Daniel, quia messores tui sibi ipsis parare victum possunt; fer elegenter, qui juvare seipsum nequit. Vivi messores sunt: sed animæ defunctorum in lacu leonum sunt, termino medio inter matutinum et vespertinum, id est, hanc vitam inter et alteram, inde prandio indigent piorum operum, quæ nos illis paremus, multo magis quam vivis.

Exemplum legitur in vita Sancti Dominici apud Surium, mense augusto, de quadam fratre ejusdem ordinis, Bertrando nomine, qui fere pro vivis tantum, raro pro defunctis celebrare solebat; di-

cebat enim animas purgantes de salute certa esse, non item viventes. Cui resistens alias quidam frater Benedictus quæsivit ex eo cuinar mendico opitulari mallet, sanone et qui integræ est membris, an illi, qui iis destitutus est? Utique debili, inquis alter; et iste: *Debiles sunt defuncti, qui seipso juvare nequeunt.* Sed cum needum a sententia divelli possit Bertrandus, nocte quadam a defunctorum uno vexatus et fasce lignorum dire compressus est: a quo tempore didicit sèpius pro defunctis sacrificare.

II. Maximum commodum animarum quod eis affere possumus. Eas enim primo, vel mox prorsus liberare, vel saltem quoad pœnas aliquas relevare, vel quoad tempus citius eripere ex incredibili incendo possumus: deinde, gloriam illis accelerare; quod est, a statu supra modum miserio ad felicissimum transferre. Quod beneficium majus existimat non immiterito card. Bellarmin. in conc. de morte, quam si alicui pauperi viventi omnes tuas facultates largireris, vel aliquem ab incendo vel naufragio extraheres.

Quæso enim te, si tu a Turcis captus carceri mancipatus, ad decem usque annos, et si quis te redimeret ut primo anno dimittereris: annon maximum tibi præstaret beneficium? Similiter si nosses, manere te grandem hereditatem vel regnum, sed diu, ob lites, verbi gratia, expectandum si quis advocatus vel egregius miles sua virtute decem annis citius eam tibi acquireret? Hoc tu facere utrumque potes animabus illis. Ejusmodi beneficium contulit Abraham regi Sodomorum, dum eum ejusque populum de captivitate hostium eripuit: quod beneficium tanta agnovit gratitudine tantique fecit rex Sodomorum, ut obtulerit Abraham omnes redemptorum opes, sibi solas eorum animas retinere cupiens, Gen. XIV.

III. Fructus proprius. Non enim dubium quin animæ per te liberatae tibi quoque succursuræ sint, cum simili ope egebis. Faciunt hoc bestiæ, cur non beatæ animæ? De elephantibus scribit Elianus, si quando profundam fossam transire volunt, eorum unum in illam descendere pontem quodammodo reliquis faciendo, per quem ubi transierunt, eumdem postea unanimi conatu extrahunt.

Descendent quodammodo ad purgatorium et pontem ad cœlum faciunt animabus fidelium, qui orationibus, jejunis et elemosynis eorum onera in dorsum suum transferunt, et pœnas illorum exolvunt. Sed non minus suo, quam illarum fructu. Vicissim enim et ad ipsis liberabuntur postea, et e fossa purgatorii precibus eorum extrahentur.

Multum refert inter homines, bono an malo viro beneficium conferas: bonus enim memor erit et pro te Deum orabit, ut tibi aurea pro æreis tribuat; non item malus, qui vel non orabit vel non audietur: *Quia peccatores Deus non audit, inquit cœsus ille, Joan. IX.* Atque animæ purgatorii omnes justæ sunt tandem beanda, non igitur dubium quin possint beneficium sibi exhibitum compensare tibi. Ut vere de illis dici possit, quod Dominus suasit, Luc. XVI. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defecerit is recipient vos ad xterna tabernacula.*

Habent illi in cœlo jam extracta et præparata sibi tabernacula. Unde possunt te recipere. Nec periculum est, ne instar pincernæ illius Pharaonis succedentibus prosperis, tui obliviscantur; istiusmodi enim oblivio a beatis exultat, quia ingratitudinem continet. Non ego divino hæc.

Audite Sanctum Augustinum qui, serm. XLIV. ad fratres in eremo ait: *Festinate orare pro defunctis Ecclesiæ, et illi festinent procurare ut ipsi in gloria conjungamur.*

IV. Facilitas laboris, quo eas juvare, et lucri maximi occasio quod acquirere possumus una missa, oratione, jejunio, elemosyna. His enim monetis redimere possumus animas, quas profinde merito ad mensam purgatorii dare debemus.

Ibi enim mensa illa est, de qua Dominus, Luc. XIX. *Serve nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris utique exegism illam?* (tibi scilicet, non mihi.) Secundum Matthæum dixit: *Quare non dedisti nummulariis, pauperibus videlicet?* Quibus pecuniam tuam pro animabus purgatorii dando duplex foenus accipis, dum et his et illis opitularis.

Contra vero quæ major pigritia et negligencia quam negligere tam bonas nundinas.

Certe Mauritus imperator graves dare pœnas debuit; quod aliquot millia Christianorum sibi a Chagano captarum, et ad redemptionem ab eodem oblaturum, si in singulos numismata et minus quid etiam dare voluisset non redemerit, sed crudeliter (ob hoc ira incenso Chagano) omnes occidi permiserit, ut refert Baronius, anno 600.

In pœnam enim hujus crudelitatis quinque ejus filii masculi in conspectu ejus, et postremum ipse a Phoca necatus est, agnoscens merito se ita puniri et inclamans: *Justus es Domine et rectum judicium tuum,* idem anno 602. Similiter exiguo pretio vel labore multas defunctorum animas eripere possumus de igne purgante. Quam occasio nem si negligamus, saltem in redimendis nostris amicis et notis, haud dubie pœnas dabimus.

Sed multi qui prudentessibi videntur, ista non credunt: sed imaginariam tantum putant esse hanc negotiationem; siquidem pecunia ipsorum videantur et tangantur et serviant eis ad plurima lucrum vero, quod e spirituali nostra negotiatione promittimus, non cernatur.

Sed nonne etiam agricola messem nondum videt, et tamen semen in agrum jacit? At videtur messis in spe, inquis, licet nondum in re.

Idem ego dico de spirituali illa negotiatione: et quid in hac longe certius? Messis enim impendi per grandinem, nebulas, et destrui per locustas potest.

Similiter etiam qui pecuniam in cambium defert, intercipi, spoliari, perdere potest. At lucrum istud spirituale certissimum est, quia: *Quicumque potum dederit uni ex minimis iustis, calicem aquæ frigidæ; amen dico vobis, on perdet mercedem suam, Matth. X.*

V. Æquitas ipsa, quia naturæ nostræ, Ecclesiæ gratiæ participes, commembra et consanguini multi. Judas non difficile persuasit fratribus, et Josephum educerent a lacu dicendo: *Frater enim et caro nostra est, Gen. XXXVII.*

Animalia certe mutuo se sublevant et juvant: elephantes, cum eorum aliquis in foveam cecidit, aggeres devolunt et ramos, teste Plinio, lib. VIII. cap. VIII. Similiter et pisces: scauri enim, teste Eliano, lib. I. cap. V. cum eorum unus in nassam incidit, posteriore sui partem de nassa protendit; reliqui qui capti non sunt, circumstantes eum morsu corripiunt, et foras socium pertrahunt: si vero captus caput de nassa porrigit, reliquorum aliquis caudam porrigit, et sic captus mordicus apprehendit caudam hujus et foras prodit.

Hoc igitur bestiæ suis comparibus faciunt, et homines non faciunt? Quid? *Heu cadit asina,* inquit S. Bernardus, lib. IV. de consideratione, et est qui sublevet eam, perit anima et nemo est qui reputet.

VI. Monitores nulti, qui hortantur ut ipsis succurramus.

Primo enim, ipsæmet interdum apparent hominibus et opem flagitant: ac si quando non audientur, cum importunitate quadam pulsant et rumores excitant ad instar Absalonis, qui saepius rogans Joabum ut patris conspectum sit impetraret, cum non audiretur, misit famulos suos, qui succenderent segetem ejus, donec coactus venerit et fecerit quod postulabatur, II. Reg. XIV.

Secundo, monent tumuli, qui ideo monumenta dicta. Veteres in sepulcris defunctorum cor solabant sculpere, teste Forch. de funeribus, ut

## CONCIO VI.

superstites testificantur mortuos sibi in corde et memoria hærente, seque a vicio oblivionis eorum abesse. Monent igitur monumenta ut defunctorum memores quatenus possumus, opem eis feramus.

Tertio, monent campanæ, pro defunctis totius vociferantes et auxilium petentes. Faciunt hoc, quod aliquando psittacus ille Basili Macedonis, de quo hæc scribit Zonaras, in Basilio et Glycas, p. c. annal. Leonem filium Basilius imperator in carcere confusus, quod vita ejus insidiatus diceretur statueratque ei oculos effodere. Interim psittacus famulum quemdam Leonis sortem deplorantem et: *O Leo, o Leo, ingeminantem forte audierat, eamque vocem sponte sua imitans similiter identidem: O Leo, o Leo, clamabat, dum imperator et invitati senatori convivium agitarent.*

Moniti igitur ea avis voce pro Leone deprecaturi de mensa surrexerunt apposite lacrymis dixerunt: « Et quid avis ista nos negligenter non accusat, qui domini nostri captivi tamdiu mentionem omiserunt, cum ipse herum suum toties et dolens inclamat? Depone imperator iram et in gratiam filium recipio. » Sic ira imperatoris mitigata, Leo in pristinum gradum restitutus est. Equis non et campanæ nos similiis negligenter arguant, que toties defunctos plangunt?

Instemus igitur bonis operibus apud Deum ut educat vincitos nostros e carcere purgatorii. Certe quando Maria soror Moysis separata erat a castris ob lepram suam, populus non est motus de loco illo, donec revocata est, Num. XII. Docet igitur, ut nos quoque non cessemus juvare animas fidelium, quamdiu eas subsidio indigere existimamus.

## CONCIO VI.

QUIBUS MODIS ERIPENDÆ PURGATORIO ANIMÆ:  
SEU DE SUFFRAGIO DEFUNCTORUM.

I. Missæ sacrificio. — II. Oratione. — III. Mortificatione. — IV. Eleemosyna.

## THEMA.

*Eccemysterium vobis. I. Cor. XV.*

Demetrius physicus, apud Plin. lib. VIII. cap. XVII. tradit, pantheræ cuidam catulos in profundam recessisse foveam, unde eruere illos nequaquam poterat; quare in publica jacens via hominem aliquem expectabat, qui catulos extraheret: proximum igitur illic iter facientem leniter ungue precepit postquam ei circumvolutata et blandi-

ta esset meroemque suum indicasset: et ad formam adduxit. Quo cum is venisset et catulos exemisset, leta et hilaris cum catulis hominem extra solitudinem deduxit securum, hocque quo potuit modo, gratiam ei retulit. Feram hanc imitari videtur hodie Ecclesia; cum enim non pauci ejus filii ceciderint in profundam purgatorii foveam, ubi etiamnum jacent et propriis viribus emergere nequeunt, idcirco mater Ecclesia hodie in via publica quodammodo jacens, commune vivorum suffragium implorat, dum diem hodiernum peragit et communia ac publica suffragia instituit: quo lapsis succurrant eosque e purgatorio eximant. Hæc est illa Rachel plorans filios suos, quia non sunt, id est, quia in captivitatem scilicet purgatorii ducti sunt. Igitur et fideles quæso homines estote, ne bestiis et pantheris sitis crudeliores, sequimini Ecclesiam matrem vestram, conamini quantum potestis, ut erueatis fratres et parentes vestros, filios Ecclesiae. Referet illa vobis cum filiis suis aliquando gratiam cum simili ope indigebitis: comitabitur vos in his tenebris donec ad lucem perveniat. Sed qua ratione, dicet aliquis, eripiems fidelium animas? Quibus mediis et machinis? Audite.

Quatuor modis juvari posse animas defunctorum scribit S. Gregorius, in epistola ad Bonifacium, scilicet: oblationibus sacerdotum, orationibus piorum, jejuniu et eleemosyna.

I. Per scalæ subsidium, id est, missæ sacrificium; hoc enim scala quedam est, per quam ad nos descendit Deus in altare: cuius gradus sunt merita passionis Christi representata: quæ dum viventibus per hanc oblationem applicantur, cur non etiam suo modo defunctis fidelibus applicari possint? Per hoc enim illi sunt suo modo participes panis vitæ, de quo loquitur evangelium pro defunctis. Tametsi enim non assident huic mensæ stant tamen ante eam veluti catelli, ut de micis ejus comedant et vitam æternam obtineant. Pulchre hoc declarat S. Ephrem, in testamento, qui cum petiisset a suis, memoriam ejus fieri ad altare Domini et oblationem sacrificii, dat hanc similitudinem: « Veluti germen vitis, inquit, racemusque acerbus in agro et vinum expressum in dolis est, atque in ædibus. Quando igitur racemus in vite maturaverit, tunc vinum agitatibus ac de se quodammodo natura recedat, quamvis immotum domi videatur. Similiter etiam de cepta intelligite: cum enim in domo fuerit aliqua arida, et aliqua in agro sata: eodem tempore, quo hæc suam viriditatem explicat, etiam domi illa germinat. Si igitur creaturarum fœtus sic inter se consentirent, quanto

## IN FESTO ANIMARUM.

magis mortui viventium commemorationibus et oblationibus recreabuntur? » Hæc Ephrem. Igitur nos sub sacrificio fruimur Deo, et recreamur quodammodo et resuscitamus, vigoreque membrorum Christi in eo representatorum, nobisque applicatorum vivere incipimus: cur non hoc ipsum beneficium suo modo participant fideles illi racemi, qui jam collecti et expressi in cella purgatorii, vel ceperum instar retro fornacem habent? Certe hoc non tam serio potuisse vir tam sanctus, nisi efficax fore intellexisset: neque mater S. Augustini S. Monica, quæ moriens alieno solo, dicebat filio et sociis: *Ponite hoc corpus ubicumque; nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei, ubicumque fueritis*, lib. IX. confess. S. Aug. c. XI. Cæterum eatenus scalam hanc purgatorio immittimus, quatenus hoc sacrificium ex sua natura est satisfactorium et impetratorium. Primo modo redimimus quodammodo animas illas, dando Deo Patri Filium ejus pro illis: sicut uno filio regis captivo redimi innumeris milites possunt.

Secundo modo Deo quodammodo vim facimus ut veniam tribuat animabus, dum Christo eas appendimus, ut ejus beneficio apud coelestem Patrem misericordiam inveniant, sicut solet reus aliquis apprehendere altare vel filium regis, ut ejus beneficio veniam a rege impetraret.

Nos enim nomine et in persona illarum suffragiis et votis nostris apprehendimus altare et Dei Filium in ipso, ut ejus beneficio Dei conceptum et gratiam inveniant. Non vana esse hæc nostra vota ostendi potest ex lib. II. Macch. c. XII. ubi Judas 1200. drachmas misit Jerosolymam offerri pro mortuis sacrificium, ex quo loco colligit S. Augustin. lib. de cura pro mortuis, cap. I. multo magis juvari animas sacrificio corporis Christi, si in veteri lege juvabantur sacrificiis peccorum. Idem testantur ss. patres. S. Gregorius ait: « Pœna vivorum et mortuorum relaxabitur illis pro quibus dicatur missa, præcipue illorum, pro quibus oratur in speciali: » et alibi: « Audire missam devote, alleviat animas fidelium defunctorum et remittit peccata eorum: » S. Hieronymus ait: « Pro qualibet missa devote celebrata plures animæ exeunt de purgatorio: » et alio loco: « Animæ quæ in purgatorio torquentur, pro quibus solet sacerdos in missa orare, interim nullum tormentum sustinent, dum missa celebratur. » Idem sanctis viris a Deo est ostensus. Exemplum refert ex chronicis Franciscanorum S. Antonius, III. p. tit. XXIV. cap. VII. par. XV. de Joanne de Alvero Franciscano, quod cum is aliquando in die com-

memorialis omnium fidelium pro illis celebraret summo pietatis affectu et sacram hostiam elevaret, obsecrans Deum ut amore illius, qui in cruce peperit, animas ab ipso creatas et redemptas e carcere liberaret, vidit innumeris quasi animas de purgatorio egredi eum scintillas de fornicatione egredientes, et per merita Christi pro hominibus passi, ad cœlum evolantes. De S. etiam Malachia scribit in ejus vita Sanctus Bernardus, quod ipse missarum oblationibus pro sorore factis primo, tantum efficerit ut pre foribus ecclesiæ stare visa ei sit: secundo, dum perseverat offerre pro ea, in ipsa ecclesia, quamquam nondum juxta altare: tertio, demum, in veste candida ad altare.

II. Per funiculum demissum, id est, orationem. Oratio enim funis est, per quem ad nos trahimus coelestia bona, quem teximus dum oramus. Quod autem eumdem ad alias etiam utilitates adhibere possimus, patet ex Domini promissione dicentis, Matth. XVIII. *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, sicut illis a Patre meo.*

Cum igitur hoc die pene tota oret Ecclesia pro illis, num Deus non exaudiet? Mulier illa Theocritus, II. Reg. XIV. lugubri induita habitu rotat pro reductione Absalonis ejecti, non difficulter id impetravit, ideo videlicet quod vidisset rex maximam ejus charitatem erga proximi salutem. Eodem fere artificio uititur hodie Ecclesia dum lugubri se vestit habitu et pro fidelibus animabus in exilium purgatorii ablegatis tam ferventer orat Denm. Et quomodo ab eo repulsam patiatur? Exemplum scribit collector speculi de pueri, quem videbat quidam episcopus aureo hamo et filo argenteo piscantem et e stagno extrahentem speciosissimam mulierem: quam postea cognovit fuisse matrem illius pueri qui pro anima matris suæ orationem Dominicam cum psalmo Miserere recitaverat. Hujusmodi igitur hamos avide expectant bone illæ animæ, quæ velut pisces in vivario reclusæ sunt in purgatorio. Illoc ergo hamum orationis nostræ demittamus, ut pisces illos ad terram viventium extrahamus.

III. Quid si elephantes imitemur? Illi enim cum eorum aliquis in substructam a venatoribus foveam inciderit, certatim accurrunt, congerunt in foveam ramos, moles devolvunt, aggeres construunt, ut sic sive exaltata fovea sive aggerum subsidio emergat, teste Plinio, lib. VIII. cap. VIII. Hoc ipsum facere possumus, si nimirum ramos mortificationis de carne nostra præsciderimus, et foveæ purgatorii injecerimus; quod enim nobis amore animarum detrahimus jejunio, ciliciis et flagellis, vigiliis, genuflexionibus et peregrina-

## CONCIO VI.

tionibus ac lacrymis ipsisque in subsidium devovemus, id non dubitarunt ss. patres et Ecclesia ratum habiturum Deum, et velut ipsarummet satisfactionem accepturum. Sic enim et Christus Dominus, pro humano genere satisfecit : *Et quæ non rapuit exsolvit, ut loquitur in Psalmo LXVIII.* idque ratum habuit Deus.

Quomodo enim non respiciat charitatem tam insignem, qua alter pro altero libere et sponte satisfacere, et partem pœnæ ejus in humeros suos transferre non dubitat ? Certe homines acceptant si alter pro alio satisfaciat, solvendo quantum alius debuit ; quanto magis Deus ? Imo talis satisfactio plus habet ponderis, qui ex charitate procedit. Si tyrannus ille Dionysius Sicilia rex Damonem et Pythiam amicos sincerissimos, quorum alter pro altero (unus tamquam reus, alter tamquam obses illius) mori contendebat, cum alterum eorum Dionysius interficeret, admiratur eorum animos, ambos vita donavit, et præterea in amicitiam suam fidelissimos et vere amicos recepit, ut scribit Valerius, lib. IV. cap. VII. cur non placeat Deo ejusmodi amoris pugna, qua alter pro altero, viventes pro mortuis pœnas sponte exsolvent ? Certe S. Dominicus narratur ter quotidie flagellis se pulsasse, semel pro delictis propriis ; iterum pro alienis; demum pro animabus; purgatori Sancta etiam Christina virgo dimidiā partem pœnarum comitis Loertis sibi de purgatorio apparentis et opem implorantis, in se suscepit, modo flammis se ustulando, modo frigoribus cruciando ; loca præterea in quibus comes ille vel deliquerat vel deliciis fruebatur, lacrymis irremediabilibus rigando. Cui proinde comes tandem liberatus iterum apparet gratias egit, ut refert Thomas Cantipratensis, libro II. apum, cap. LIII.

IV. Per manum correctionem, id est, eleemosynam ; si nimirum extendas manum ad pauperem. Sic enim Jacob. XII. dicitur : *Eleemosyna a morte liberat; ipsa est, quæ purgat peccata et facit invenire vñam æternam.* Liberat haud dubie tam eum qui dat, quam eum pro quo datur ; indefinita enim locutio est. Non est purgatorium instar carcerum nostræ patriæ, qui undique clausi sunt, ut nihil tribui incarceratis possit, (talismen est infernus) sed instar carcerum Italiae, qui crates ferreas habent, per quas incarcerati eleemosynam capere possunt. Sed hanc quinam ad eos deferent ? Pauperes utique, qui eamdem quoque ad cœlum ferunt : *Bonorum enim præser-tim ad alteram vitam facilis est transvectio,* inquit Sanctus Chrysostomus, in cap. XXIII. Genes. per manus pauperum, juxta id Ecclesiast. XI. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, et post*

*tempora multa invenies illum.* Cum quid in Austria mittere volumus, credimus Danubio. Panperes autem istiusmodi aquæ transeuntes sunt, quia non habent hic manentem civitatem. Certo Christus ipsem nuntios suos et tabellarios pauperes constituit, per quorum manus quidquid eis crediderimus, se id accepturum vel pro accepto habiturum dixit. Quam rem mirifice confirmat exemplum, quod scribit Joan. Vaseus ad annum Christi 940. de Sancto rege Legionis et Asturiarum, qui uxori Gudæ, que pro ipsis anima pelle cuidam sacerdoti dederat in eleemosynam, albis vestibus et pelle, quam sacerdoti dederat uxor, indutus apparuerit, gratias pro liberatione agens. Quem cum illa amplecti et retinere vellet, partem pellis abstraxit, marito ad superos abeunte. Postmodum reperta est in prædicta sacerdotis pelle deesse eadem illa pars, quam Guda merito abstraxerat.

Igitur, ne dubitemus, fideles sunt munera nostrorum portatores pauperes. Longæ dicuntur regibus esse manus : sed longiores sunt pauperibus, quia quæ ipsis dantur, Christo dantur et per Christum iis, quibus ea destinamus, animabus.

Quod si alium adhuc non minus fidum portorem scire volitis, en vos hanc ecclesiam et patronum ejus : qui, ni fallor, adhuc longiores habet manus, et pauperibus dictis certior est tabellarius. Hic certe poterit compensare animabus parentum et fratrum nostrorum, si quid ad ordinatum templi illius, pro ipsis contuleritis. Exemplum de Dagoberto Francorum rege refert Baroniūs, anno 647. qui per SS. Dionysium, Mauritium et Martinum, quibus ecclesias extruxerat et ornatæ gravissimis purgatori flammis eruptus, visus est cuidam eremita. Quod si pellis una data sacerdoti pauperi, Sanctio illi profuit, proderunt et casolæ et vasa sacra ornata sacris ædibus debito cultu destitutis.

Quare auditores sequamur Ecclesiam matrem et ductricem nostram : convertamus oculos mentis nostræ in foveam purgatori : contemplemur animas inibi inclusas, et ad patriam spirantes : admoveamus scalas, demittamus funes : devolvamus ramos, extendamus manus ad eas eruendas. Sane si parentum, si fratrum, si vicinorum, imo si externorum domos ardere videmus, nihil non faceremus ad incendium extinguendum. Alius scalas admoveret, aliis aquam effunderet, aliis incolas eriperet, aliis suppelleatilem igni subduceret, etc. Et quanto horribilis et calamitosus incendium est illud purgatori ? Ad hoc ergo restinguendum convertamus omne robur, omnem nostrum conatum, etc.

## IN FESTO ANIMARUM.

## CONCIO VII.

## MEDIA EVADENDI PURGATORIUM.

- I. Devita peccata venialia. — II. Mundum ne diligas. — III. Frequenta sacramenta. — IV. Extremam unctionem non negligas. — V. Pœnitentias injunctas sedulo perage. — VI. Lucrare indulgentias. — VII. Purgatorium hic opta et accipe. — VIII. Mortem libens amplectere. — IX. Ora ut sis immunis. — X. Succurre purgantibus.

## THEMA.

Fratres : *Ecce mysterium vobis dico. I. Cor. XV.*

Charissimi, si nunc docerem artem, qua floreno uno centenos aut millenos lucrificare possetis, quam avide me audiretis ? Amplius dico si monstrarem vobis herbam et dicere si de herba ista quotidie aliquid comedeleritis, in morbem nunquam incidetis, vel saltem nondiurnum, quam cupide meum sermonem expectaretis ! Sed parva sunt hæc, quæ proposui : melius quid et utilius dicam : qua ratione nimirum exiguis operibus magnas purgatori pœnas redimere possitis, quomodo inquam purgatori aut omnino effugere, aut cito saltem evadere. Annon melius hoc, quam quæ dixi ? Annon majori aviditate hoc audiiri debet ? Sed quod apostolus in hodierna epistola dixit : *Ecce mysterium vobis dico, idem ego dico.*

Pauci enim sunt qui capiant verbum istud, et artem hanc arripient. Sed pandamus hoc mysterium : forsitan multi erunt, qui illud et percipient et arripient.

I. Abstine a peccatis venialibus, et si ea admiseris, dele per pœnitentiam aliaque media. Qui enim extruere vult domum ab igne securam, non debet extruere de ligno, fæno, stipula, sed de auro, argento, vel nobilibus lapidibus, uti marmore, etc. Peccata venialia, lignum fænum et stipula sunt, quæ in purgatori ardebunt. Hoc est,

quod apostolus dixit, I. Cor. III. *Si quis superædificat super fundamentum hoc (id est, super fidem Christi) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit, etc.* Si cuius monserit, quod superædificavit, mercedem accipiet ; si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem. Vult dicere : Sicut domus, si ex auro et lapidibus robustis constructa sit, ab igne non lreditur ; si vero ex ligno et stipula, aduritur : ita qui fide Christi superædificat opera sancta, a purgante igne non lædetur ; qui vero peccata levia et venialia, quibus scilicet mens adhærescit, v.g.

ad carnis commoda, nugas, vanam gloriam, etc. Unde S. Gregorius, hom. XXXII. in evangelia ait : « Ad se nobis venientibus Dominus præcepit ut renuntiemus nostris, quia quicumque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur,

detrimentum patietur et non nisi per ignem. Num salvus fiet. Exigua quidem res videntur et putantur esse peccata venialia, impedita tamen a cœli ingressu. Sicuti pessulus aut vectis, exiguum est ferrum, obserat tamen fores ut ingredi non possis quantumcumque coneris.

Removenda igitur imprimis est materia ustibilis : removendi omnes pessuli peccatorum venialium, si absque purgatorio de morte transire ad vitam volumus. Et si una aut altera stipula cito exuritur, integer tamen cumulus fœni aut straminis diutissime ardet et tarde comburitur, ut patet in incendiis : similiter si multa tibi sint peccata venialia, diuturnum alent ignem. Ceterum quia peccata venialia in duplice sunt differentia, alia quæ studiose et dedita opera committuntur ; alia quæ ex fragilitate, ignorantia vel inadvertentia, in quæ etiam conscientia timorata et viri perfecti, qui omni studio conantur vitare etiam omnia venialia, incidere solent, hinc duplex purgatoriæ aliqui jure statuunt, uti p. Joan. Crombecius, de studio perfect. lib. I. c. XXIX. viros enim perfectos, qui posterioris generis peccata commiserunt, existimant præter desiderii cœlestis sitim et dilationis beatæ patriæ pœnam nihil perpresso. Tales fuerunt, quos venerab. Beda, in visione Driethelmi commemorat visos in ameno campo, ut alias diximus. « Qui enim credit, inquit Crombecius, benignissimum Jesum animas, amantissimas sponsas, quæ omni conatu minima delicta devitant et ut hoc possint, multis penit corpora sua afficiunt, paratae interim pro Dei gloria infinitis mortibus constantiam suam vel ad minimum peccatum vitandum probare, sponsas inquam suas pro verbulo otioso vel distractione in orationem irrepte, acerbissimo igne combusturum, sicut latrones hic comburuntur pro enormibus sceleribus ? » Sic ille. Esto igitur perfectius et propitium tibi erit purgatorium.

II. Noli adhædere hujus mundi bonis, sed utere tamquam alienis et commodatis. Si enim Christus in terris noluit quemquam recipere in discipulum, nisi prius renuntiasset omnibus, quæ possidet, Luc. XIV. multo minus in cœlo recipiet aliquem in amicum et cohæredem, nisi id ipsum fecerit.

Unde S. Gregorius, hom. XXXII. in evangelia ait : « Ad se nobis venientibus Dominus præcepit ut renuntiemus nostris, quia quicumque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur,

quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quedam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum labentium delectationes requirat, etc.» Hæc Gregorius.

Tenebitur ergo in purgatorio, qui non abjevit affectus inordinatos erga bona caduca: *Nudus egressus sum de utero matris*, ait Job, *nudus revertar illuc*. Sed difficile est in morte exuere, quæ viventibus fortiter adhæserunt. Idecirco sicuti convenit rebus hujus mundi, quasi alienæ sint et mutuo acceptæ; tales enim puram amamus et facile restituimus. Hinc non erit, quod nobis in purgatorio abstrabatur: *Nudus enim latrones non timet*, dicebat ad fures S. Hilarion, apud S. Hieronymum, in vita.

III. Frequentia sacramenta pœnitentiae et eucharistiae. His enim expellitur materia purgatorii. Quemadmodum, qui intemperanter vivunt, si non utantur quotannis semel aut iterum purgatione et venisectione necnon menstruatim sacrificatione, sed ea nimis differant, tantum sibi mali humoris accumulant, ut tandem in morbum et quidem periculosum aut diuturnum incidat. Ita qui nimis differunt raroque adhent s. confessionem et communionem, certum sibi ac diutinum causant purgatorium. Contra uti sedula sanguinis minutiæ vel purgatione morbi immenentes arcentur si non omnino, saltem magna ex parte, et diuturni: ita purgatorium cavetur, vel saltem mitius obtinetur, cum per præviæ sacramentorum frequentationem materia illi subtrahitur.

IV. Extremam unctionem accipe ante mortem. Ea siquidem reliquias peccatorum tollit, et penas juxta recipientis dispositionem, quæ tanta esse potest, ut omnes omnino tollat, adeoque absque purgatorio de morte ad vitam transeas. Sed hac de re alibi.

V. Satisfactiones tibi a confessario impositas sedulo ac rigide peragito; et præterea ultroneas tibi imponito. Nam quod attinet ad primas, cum eae sint pars sacramenti, majorem vim ad tollendas penas habent, quam quæ ultro assumuntur. Unde optandum tibi esset, ut severius tecum agat confessarius.

Scimus enim Levit. VI. legem holocausti fuisse, ut cremaretur in altari tota nocte usque mane a sacerdote paramentis sacerdotalibus induito.

Quod si vero usque mane non omnia penitus combusta fuissent, reliquias extra castra efferri et iterum comburi usque ad favillam debuisse; ita tamen ut sacerdos prius deponeret vestes sacras, et indueret suas vulgares.

Eundem in modum pœnæ, quæ in hac mundi nocte usque ad illud mane vitæ futuræ non satis exsolvantur per injunctas pœnitentias, afferuntur ad purgatorium, ut ibi redigantur in favillam, id est, solvantur usque ultimum quadrantem: ubi non jam a sacerdote nec ab igne sacro, sed a tortoribus et igne sevissimo comburentur.

Quod vero ad voluntarias afflictiones pertinet, si in nos rigidi et severi simus, procul dubio purgatorium habebimus propitium, aut etiam nullum. Videtur hoc nobis suassisse Dominus, quando Luc. XII. dixit: *Cum vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te excatori, et excitor mittat te in carcere*. Quo loco Sanctus Ambrosius ait: *Adversarius noster est omnis virtutis usus et apostolicus et propheticus sermo, qui nos ad asperiora præcepta et durioris vitæ documenta constringit*.

Hinc ergo consentendum est, id est, agendum quod S. Joannes Baptista prædicavit: *Agite fructus dignos pœnitentie*; sic enim: *Fugimus a ventura ira, ut ipse dixit*, Luc. III.

VI. Lucrare indulgentias, et solve ex ærario Christi, quod ex tuo non potes. Non deest tibi occasio, modo tibimetipsi non desis. Quis autem quæso, audiens divitem sibi dicentem: *Mitte manum in hunc thesaurum meum, et quidquid manu comprehenderis, illud tuum esto, quis inquam facere hoc negligeret?* Atqui istud tibi dicitur, cum indulgentia offertur. Sed hac de re dictum alibi.

VII. Purgatorium hic expete, et cum tibi obtingerit, alacri animo fert. Petiit hoc Job c. XIV. cum ait: *Tu quidem gressus meos dinumerasti: sed parce peccatis meis*. Pro quibus ultimis verbis alia littera legit: *Ne differas penas meas*: quasi hoc sit parcere, punire in hoc sæculo, et non differre penas ad purgatorium. Certe nostri mercatores viliori pretio dant merces pro pecunia parata quam pro expectanda. Pari ratione creditit S. Job remissum aliiquid Deum de pœnis debitibus, si quis in præsenti sæculo se offerat ad solvendum. Quod autem in præsenti sæculo exsolvi possit purgatorium, patet exemplo Mauritii imperatoris, cui a Deo optio facta est, ut peccata sua lueret vel in hoc, vel in illo sæculo; qui præsens elegit tempus. Item testimoniis S. Bernardi, qui aliquando videns in agro fratrem conversum studiosæ et ultra vires metere, dixit ei coram omnibus: *Eia frater age quod agis, nullum aliud post hanc vitam purgatorium sustinebis*, Thom. Cantiprat. lib. II. apum, cap. V.

VIII. Mortem vicinam libenter amplectere et offer Deo vitam tuam. Cum enim nihil præstan-

tius habeas vita tua, non dubium, quin hoc munus Deus acceptum habeat, et magna gratia remuneretur. Fecit hoc S. David, qui Psal. CXV. ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam* (id est, passionem et mortem libentissime amplectar.) Jam vero scimus calicem martyrii, qui in testimonium fidei ebibitur, esse tam salutarem, ut omnem extinguat purgatorii ignem et immediate celo transcribat ebibentem. Quid si igitur tu eundem illa libas, ut mori optes ac velis hilarius, in testimonium obedientie christiana quam commendavit nobis Dominus, Luc. XIV. dicens: *Si quis venit ad me, et non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*. Annon item aliquam purgatorii remissionem poteris sperare? Cum enim timor et horror mortis sit naturalis, si tu eum ex motivo charitatis vel obedientie temperes aut vincas, certe heroicum designas actum magna remuneratione dignum. Accedit quod etiam Dominus beatos dixit esse servos illos, qui cum venerit Dominus eorum et pulsaverit, confessum aperiunt ei, Luc. XII. *Pulsat vero Dominus*, inquit S. Greg. hom. XIII. in evangelio: «*Cum jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat: cui confessum aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Unde protinus addit: Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.*»

IX. Ora diligenter, ut ab eo immunis sis: est enim oratio medium universale ad omnia impestranda, adeoque clavis omnes januas aperiens: ac proinde etiam coeli januam. S. Franciscus cum aliquando candente ferro causa recuperandæ valitudinis urendus esset, ferrum allocutus: *Mi frater ignis, inquit, esto mihi in hac hora propitius. Precoz Dominum qui te creavit, ut tuum mihi calorum temperet.* Et simul signum crucis versus eum fecit. Unde factum, ut cum cædens ferrum ustioni adhiberetur, vir sanctus nullum, uti retulit, senserit dolorem, ut in ejus vita. Similiter de S. Luca canit et orat Ecclesia in persona ejus: *Rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur mei, et impetravi a Domino inducias martyrii mei.*

Itaque ignis circum eum accensus, nihil ei nocuit ut in ejus vita. Eodem medio S. Catharina rotatam et falcatam contrivit machinam, qua erat dilaceranda. Videamus igitur quid possit oratio. Non est autem nobis vita hæc ablata sed omnibus est dictum: *Quidquid orantes petieritis fet vobis.*

X. Succarre libenter animabus in purgatorio constitutis. Rependent enim tibi vicem suis apud Deum precibus, in celo constitutæ, cum tibi aliquando purgatorium imminebit. Cum enim ex

maximis eripiantur ærumnis, quomodo ingratæ esse poterunt, et non parem gratiam referent? Scimus etiam brutis gratitudinem esse insitam: et animabus illis deerit? Aquilam aliquando cum juxta fontem a serpente circumplicata teneretur, et a messore, eo aquæ hauriendæ gratia accedente, liberata esset, gratiam liberatori rependisse scribit Ælianus, I. XVII. cap. XXVII. nam cum is aquam sociis tulisset, ipsique omnes bibissent; tandem cum et ipse qui tulera, bibere vellet, adfuit eadem illa aquila et vasculum ab ore ejus excussum ac fregit; et hoc gratitudinis ergo: mox enim cæteri qui biberant, palpitate et animam agere cœperunt, quod potus ille veneno serpentis infectus fuisse. Bonæ illæ animæ instar aquilæ desiderant volare ad conspectum Dei, sed detinuerunt ab igne purgatorii. Quod si igitur quis piæ eas inde eripiat, certo rependent ei gratiam et amarum purgatorii calicem ab ore ejus excutient, suis apud Deum precibus. Extat in libro de viris illustribus ordinis Cisterc. historia de Britanno quodam, qui quoties transibat per cœmeterium, aliquam pro defunctis orationem fundebat. Unde eo mortuo visi sunt defuncti sepulti in illo cœmetorio surgere, et in templo pro eodem suo benefactore exequias decantare. Ad hæc plura referuntur exempla, qua ostendunt eos, qui pro defunctis orare omiserunt, diu in purgatorio detentos fuisse. Quod utique factum non esset, si defunctorum in suis precibus sedulo meminissent.

I. Libenter mori. — II. Facit bene mori. — III. Temperat voluptates malas. — IV. Excludit sollicitudines. — V. Facit semper esse pavidum. — VI. Protecta diabolo et munit. — VII. Parit gaudium et solatium.

*Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* Joan. V.

Verissimum quidem est verbum veritatis quod mortui in novissimo die audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. Sed non omnes mortui libenter eam audient, quia ad beatam vitam non resurgent omnes: *Omnes quidem resurgemus*, ait apost. in hodierna epistola, I. Cor. XV. sed non omnes immutabimur, per gloriam videlicet: et Christus in hoc ipso evangelio: *Procedent qui bo-*